Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26870
Copyright: Admont, Benediktinerstift

lectissimi ut pondere uiuiarum augentur. ut dolore de eis q̃ adusus se
crassant. ⁊ seruiunt uindicari uelocit cupere. nec illud mea extrema parte
reticendum est. ut iustis fluctuantib⁹ mundi turbinib⁹ ⁊ indeuotis siue gen
tilium. ⁊ hereticorum q̃q; persecutionib⁹ istarum patientes expectem ultionis
die. nec ad uindictam doloris nri querula festinatione pperem. cum scrip
tum sit. Expectame dicit dns in die resurrectionis mee in testimonium. quia iu
dicium meum ad congregationes gentium. ut excipiam reges & effundam super eos iram
meam. Expectare nos iubet dns. ⁊ future ultionis die forti patientia sus
tinere. Qui ⁊ in apocalipsi loquitur dicens. Ne signaueris uba libri huius. qua
rep in proximo est. ut hi q̃ perseuerant nocere noceant. ⁊ q̃ in sordib⁹ est sordescat.
adhuc. Iustus autem adhuc iustiora fiat. simiter ⁊ sanctus sanctiora. Ecce ue
nio cito. ⁊ merces mea est mecum. reddere unicuiq; secundum facta sua. Vnde
clamantes martires ⁊ uindictam suam dolore erupente pperantes expec
tare iubentur adhuc. ⁊ reponib⁹ consumandis implendisq; martirib⁹ pbere patientiam. Et cum aperuisset igitur quintum sigillum. uidi sub ara dei animas
occisorum ppter uerbum dei ⁊ martirium suum. ⁊ clamauerunt uoce magna dicentes.
Q uousque domine sanctus ⁊ uerus non iudicas ⁊ uindicas sanguinem nrm de his q̃ in terris
habitant. Et datae sunt singulis stole albae. ⁊ dictum est eis ut requiescerent breui adhuc
tempore. donec impleatur numerus conseruorum. ⁊ fratrum eorum. qui postea occiderentur
exemplo istorum. Quando autem ueniat sanguinis iusti diuina uindicta. de
clarat p malachiam pphetam spiritus sanctus. Ecce dies domini uenit ardens uelut cliban. ⁊
et omnis alienigene. omnis iniqui stipula. ⁊ succendet eos dies aduenienis
dicit dns. Quantum legimus in psalmis. ubi dicit iudicis pdicat aduenit. censure
siue magestate ueneranda. dns manifestus ueniet. deus nr ⁊ non silebit.
I gnis ante eum ardebit. ⁊ circumtum eius procella nimia. Vocabit celum sursum &
terram. ut separet populum suum. Colligite illum iustos eius. qui disponunt testa
mentum eius in sacrificiis. ⁊ annuntiabunt celi iustitiam eius. quia deus iudex est. Et
eadem esayas pnuntiat dicens. Ecce deus sicut ignis uenit. ⁊ sicut procella currus eius.
retribuere in ira uindictam. in igne enim dominus iudicabitur. ⁊ in gladio eius uul
nerabitur. Et iterum. Dns deus uirtutum pdibit ⁊ communiet bellum. & exci
tabit certamen ⁊ clamabit sup inimicos suos. Tacui. Numquid semper tacebo.
Q uis est autem ille q̃ tacuisse se pius dicit. ⁊ non semper tacebit. Vtique ille q̃ non clamau
it. neque in platheis uox eius audita est. atque ille q̃ sicut ouis ad uictimam duc
tus est. ⁊ sicut agnus coram tondente se sine uoce non aperuit os suum. Vtique
ille q̃ non fuit contumax. neque contradicens cum dorsum suum poneret ad fla
gella. ⁊ maxillas ad palmas. faciem autem suam non auertit a sedentate sputo⁹.
utique ille q̃ cum accusaretur a sacerdotib⁹ ⁊ senioribus nichil respondit.

ppheye

animas